



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Pancharijs M. 19. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

bona ; hæc inquam,tot mœroris argumenta , quot
antè letitiae , dubiam utrinque victoriam fecere.
Ego, si fas sit , octavum & dolorem & gaudium
addidero, morte inter IESV ac MARIAE amplexus.
Quid enim acerbius , quam hos ex oculis dimis-
tere? quid dulcius, quam ab his oculos claudi?

Ex lib. 3, Carthág.

*Disce homo obedire , disce terra subdi, disce pulvū
obtemperare: Erubesc superbe cinis : Deus se humiliat,
& tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, &
tu dominari gestiens hominibus , tuo te preponis
Auctori. S.Bernard.hom. 1.super Missus.*

S. PANCHARIVS M. 19. Martij.

Nemo, ô juventus! nemo recte duobus Domi-
nis unus servit. Neimpe duos nec amabis, nec
amaberis à duobus. Si fidem Christo non habes,
ah saltē tibi habe, juventutis habe Principi PAN-
CHARIO. Quid non huic nomen suum promisit
unus Diocletiani furor , qui patriam infestabat,
terrebat. Ergo Roman itur. Ah PANCHARI se-
queris, non fugis hostem! Aula tamen accipit, opes
stipant, honores aule Præfectum salutant, ipse
Diocletianus amat. Fidem juro PANCHARI , odit
tyrannus qui amat. Eheu! vates fui , blanditijs ex-
pugnatur cereus animus, & dum fidus regi laborat
esse, cælo fit perfidus, Christum, prò? cum Iove
mutat. Ite nunc aulæ mancipia, ite Principes, fi-
dem aulæ habete utrique, quæ fidem frangit Deo.
Nunquid recte iterum illud clamabo: *Exeat aulâ,*
qui pius esse cupit? Exit ecce PANCHARIVS aulâ, à
matre & sorore Christianis castigatus, & pius est
iterum, iterum Christum amplectitur , Iovemque
dammnat, spectante & audiente Diocletiano. Furit
hic

hic & verberibus sœvit. Hæc tu PANCHARI, amoris divini in te principia crede. In theatrum abriperis: Spectatores Superos habebis. Exul Nicomediam abduceris. Gaude vel sic aulâ exiisse. Securi feriunt; sanguini innatas. O factum bene! hanc demum purpuram altera, ad quam tendis, Aula probat. Ex Meneis.

Sapientia est in pœnitudine peccatorum, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Invenisti sapientiam, si prioris vite peccata defleas, si sæculi desideria parvipendas, si aeternam beatitudinem toto desiderio concupiscas.

S. SIBYLLINA V. 19. Martij.

Nata SIBYLLINA Papiæ in Biscoßâ nobili familiâ D. Dominici tertium Ordinem nobilitavit. A teneris scelus ingens credidit esse, quem sibi horarum Canonicarum vicem numerum præcum præfixerat, vel semel omittere. Loco solo cum se inclusisset, non nisi semel ad Virginem veletam, semel epulo Eucharistico reficienda sponso obviam processit. Gaudiis tunc inundabat, cum sanguini, quem ipsa flagris septem annis quotidie fundebat. Pudorem unicâ veste & contra æstum, & frigora tegebat. Nudo indormiebat ligno, suavissimo castitati thalamo. Annū XII. egressa, cum oculos corporis amisisset, animi invenit, & D. Dominicum manifestâ in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis delibuta, ut jam nollet non fuisse cæca. Et verò quis unquam plura vel Argus vidit, quando longè post futura vidit, prædictit; conscos lethalis noxæ animos inspexit; è ligno, quo Christus pependit, reliquias, cordis tactu veras esse pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut

G

quo